nam nobis elapsi in illas percelebres scholas
repente transvolant, magno doctrinae pecuniaeque
dispendio: perexiguum temporis compendium
redimentes. Salutem tibi optat Lubbertus Fon-
oneno, qui in hac Epistola describenda meus fuit
amanuensis.

296 [= Macr. n. 7 Nr. 306]

Pax Christi.

Gaudeo Johannes Corten, tibi in studiis artium
bonarum tam secundas res esse. Tum illud quoque
mihi voluptati est, quod praeceptores tuos ma-
gnifice praedicas, totaque istius scholae constitu-
tione magnopere delectaris. Haec sunt boni in-
genii argumenta, quae nobis de te bonam spem in
posterum ostendunt. Quum enim ames ipse ea quae
discis, et eos nactus sis, Dei beneficio, qui docere
felicissime possint, non video, quid obstet, quo
minus his annis proximis vincas etiam nostram
tuorumque omnium de te non temere conceptam
expectationem. Deflectunt multi de via: quo
est laudabilior animi tui constantia quae neque
malis aliorum exemplis, neque illis Sathanae ma-
chinis potest e gradu dimoveri i. modo quo
pietas tua te vocat. De Heshusio, quod nunci-
as, molestum est, vereor enim, ut hic quoque
det aliquid turbae: aut certe ne doctrinae
coelestis puritatem corrumpat. Apostolus
ejusmodi viros non accedentes sanis sermoni-
bus Domini nostri Jesu Christi, tanquam αὐτο-
κατακρίτους devitari jubet. Tu da operam, ut
rudimenta pietatis, exercitiis et invocatione
confirmes, atque ne qua lux desit tuis istis gra-
vissimis; . . . . . legumque studiis, N.T. li-
bellum, qui verae germanaeque justitiae
rubricas

rubricas continet, successivis saltem horis fac animæ tuæ causâ studiosè legas. invenies pariter illic et civilium legum fontes, et fontem vitæ. Sed non n eges hujus monitoris in tanta celebritate doctorum. Pue- rilia studia nostra planè conciderunt, ut jam ne unus quidem discipulus mihi sit reliquus nec domi nec in schola. In familia octo animæ sumus, duo conjuges, cum tribus liberis et famulæ duæ cum puero Nicolao. omnes usque adhuc singulari Dei bonitate sine contagione conserva- tisumus. Magna semper fuit ejus erga me misericordia ingratitis agendis nunquam illa expuerit . . . . . re- scindere. Hæc si sæpè in magnis calamitatibus, sic, quid sit ærumnas pati, nunquam tamen efficacissima consolatio mihi defuit, quæ debilitatum prostratumque subinde animum erexit. Adhuc admodum adolescens epistolarum Apostolicarum lectione domestica eo adductus fui, ut in uno Deo, et Domino nostro Jesu Christo ponerem spem omnem vitæ meæ. Quæ sanè spes adeò me nunquam frustrata habuit: ut nun- quam senserim in tota meæ vocationis cursu, vel consilium Domini, vel auxilium mihi defuisse. O ego ter felix tali assertore, qui ultra accedit votis si Deus esse velim! Nec miror in scholica quod pul- verulentaque arena sustineo lucre pondus agrestemora. ipse etenim sic pulvis, mediorumque velhi, demulcens elegis obvia fata meis. Quæ me illi fecient, quem ego adhuc unice colo amavi: Nunc vetus et vetus convenienter amo, vides studiose juvenis, me à in- genio meo non posse discedere. Quanquam repre- henditur hoc genus scribendi, quod familiaribus epistolis vel sermo assequitur: tamen facile apud te veniam consequar, quem fatigare soleo utriusque scri- ptionis facultate. Neque dubitem tibi auctor esse, ut quoties ab istis forensibus studiis respiratio conce- ditur: sumpta ex institutionum titulis materia, stylum exerceas, nunc versibus scribendis, nunc

de A°. 1577.

libera oratione. Ea exercitatio faciet, ut res i-
psas, quibus tractandis intentus sis, perfectius intelli-
gas. Simul autem aletur eloquentia, magnum Juris-
consulti decus et ornamentum. Sed habes, quorum
fretus authoritate uteris, qui sibi proniorem viam
magisque compendiariam ad juris scientiam osten-
dent. Me non decet in tam bene constituta schola
Julia, tanquam in aliena Repub. curiosum esse. Tu
nos ama et vale. Salutem tibi precatur mea uxor.
Martinus Reinekinck studet Marburgi. Nicolaus
Langerman mandatus Witebergam. Gerhardus Lenink
et frater collocati sunt apud Rectorem Embdanum. Equi-
dem aliorum successibus non invideo: sed lugeo dis-
sipationem rerum nostrarum, quae repente ex flo-
rentissimis in nihilum redactae conciderunt. Ite-
rum vale. Pridie Non. Octobr. 1577. Bremae.
Dic salutem Gerardo Gereken et Arnoldo Frese
aliisque notis.

Quondam studiorum tuorum
Rector
Johannes Molanus.

297) [=Mscr. a. 7: N. 317]

Pax Christi: [An Unbekannt]

Si vales, eximie Doctor, cum honestissima con-
iuge, gaudeo: nos in atro clausi claustro, hactenus
ab omni pestis contagione, magno Dei benefi-
cio, conservati sumus; Multi interea e vico Su-
rio sublati sunt, multi e vico Catharinario in-
terierunt. Non ab eventu, sed a providentia Pa-
tris nostri caelestis, et ingressus, et progressus
vitae nostrae, egressusque dependet. Nos praeser-
tim qui oves pastorem nostrum agnoscimus,
sequimurque Jesum Christum, in eoque fide reniti-
mur, in omnibus periculis nostris, et in tota
gubernatione vitae nostrae, non solum tuti, sed
etiam securi sumus. Quod sane dulcissime dicit
Servator noster Joh: 10. Ego sum ostium, per